





1754.

6. Bochmer, Georgius Ludvicius, b. d. iuris dei produc-  
nus: Joannis Iusti Recitatio . . . solennia in au-  
gustalia indicit praenissa observatione: de  
jure promotorum ad beneficia ecclesiastica.

7. Eberhard, Joannes Paulus: De transportatore novorum  
ejusdem usus dissertatione, qua facultate legendi  
. . . sibi concensu, futura sua collegia indicat.

8. Foertsch, Paulus Tacitus: Lectiones exegeticas - toni-  
leticas in pericopas Evangelicas hoc semestri haben-  
das indicit: et: De usum harum pericoparum  
in ecclesiis nostris, ac difficultatibus, quae in tra-  
nslatione illarum se afferunt quedam dissertatione.

9.<sup>10</sup> Freiesleben, Christianus Historicus, nobilis, & : Pro-  
blema practicum mandato S. C. poenitentia exceptio-  
nes sub et obrepitionis impune non pareri. 2. script.  
Sd. 1. i. 2.

11<sup>o</sup> 12. Freiesleben, Iosephus Christianus nobilis a: de mutatione domini in subfeudis imperii atque consensu vasallorum invalida. 2 Sacra.

14. Gebauer, Georgius Christianus; Ord. iur. iuris de canis: ad solemnia inauguralia Dr. Joannis Ritteri et Dr. Christiani Ritteri nobilium de Freiesleben invitas simul nonnulla de nobilitate veterum Germanorum ad Tacitus German. Cap. VII. commentatus

18) Gebauer, Georgius Christianus, Ord. iur. iuris Prodecanus: honores in arte somniorum . . . Joachimus Beckholt . . . S. P. T. lib. baroni de Borstorp . . . collatum in indicat et de jure successioneerum apud veteres Germanos et Tacitum German. Cap. XX. commentatus

15. Gebauer, Georgius Christianus; Ord. iur. iuris prodecanus: ad solemnia inauguralia . . . Dr. Georgii Josephi

Ignatii Iacobi Nepomuceni de Habermann ab Hus-  
leben, nobilis J. P. T. immediati iuris et : re  
comitate principum Germanicorum ad Taati  
German. C. 13 et . 14. commentatur.

16. Gebauer, Georgius Christianus : Ord. iuris Dici Decanus:  
et lectionem cursoriam et no. inaug. 1. Prod.

Iva. Historico Hirschfeldio . . . donorum leg. lineo.  
rum . . . publice capessendorum causa habentes  
iuris et nonnulla : de iudicis veterum Go-  
manorum ad Taati German. C. 12 Dissert L.

17. Gebauer, Georgius Christianus : Ord. iuris Dici Decanus:  
... Iacobi Henrici Sommersi . . . solemnis inaug-  
uratio indicat eaque occasione de constituo-  
re veterum Germanorum et Taati German. C. 11 com-  
mentatur.

18. Michaelis Augustus Benedictus: De historia  
literaria historiae eis in his Germanicae diligentia  
tuis calenda dissert et lectiones per ius Tauri  
semestre habendas intendit.
19. Brantius, Dr. Iur. regis: De lege Hortensia
20. Roediger, Joannes Georgius: Demonstratio  
anatomicae reliquaeque lectiones semestris  
biennalis 1754. - 1755 habendas intendit  
observationum medicarum & suffragatis satu  
ram edit.
21. Valckius, Charles Guillaume Fréderic: Commentatio  
de litteris electorum concursione testibus, qua  
numeris inspicie ... publica facienda rite  
intendit.

*Pra. 23. num. 26.*  
21.  
**CHRISTIANI FRIDERICI  
NOBILIS A FREIESLEBEN**

S. R. I. EQVITIS

PROBLEMA PRACTICVM

**MANDATO S. C. POENALI  
OB EXCEPTIONES SVB- ET  
OBREPTIONIS IMPVNE NON PARERI.**

D. XI. MAII MDCCCLIV.

PVBLICE DEFENSVM.




*P 4459*  
EDITIO SECUNDA.

GOTTINGAE  
APVD VICTORIN. BOSSIEGELIVN



Digitized by srujanika@gmail.com





CAPVT I.  
PRINCIPIA GENERALIA SISTENS.

§. I.  
IVDICIORVM FINIS.

Omnia iudicia eum in finem sunt  
introduceda, vt in republica  
pax et quies, maxime singu-  
lorum, conseruetur; quod ge-  
mina ratione solet obtineri, vt prouideant  
Iudices, ne quis in iure suo turbetur, et,  
si illa prouidentia locum amplius non habet,  
vt minus recte factum idoneo remedio  
emendetur tollaturque, atque ita suum cui-  
que etiam hac ratione quam maxime tribua-  
tur.

A 2

*tur. Ad hoc ipsum illi, ad cuius munus pertinet eiusmodi turbis atque laesioribus interuenire, quadam auctoritatis eminentia et vi iusta opus est: laedentes enim turban tesque plerumque in ea sententia non sunt, vt sponte ad officium redire velint, aut solo monitu in legitimum tramitem se reduci patientur; vt adeo Iudicis sit, non dicere tantum, sed edicere, iubere, vetare, com minari, si malo ita mederi possit; sin hoc non sufficiat, etiam iussa sua exsequi, et no lentes licet inuitosque ad ea agenda patien daue adigere, quae ius et aequum flagitat.*

## §. II.

### IUDICIA SVNT A LAESIS ADEVNDA.

Est itaque Iudicium rite constitutum sa cra Anchora; ad quam orta iniuriae sibi fa etae tempestate iis, qui se laesos esse existimant, confugiendum. Est omnium eorum, qui ope auxilioque iudiciali indigent, tutissimum refugium atque receptaculum; ad quod eo maiori confidentia parti aetrici est adeundum, quo rectius norunt, saltim existimant et sperant, Iudicem pro reli gione

gione sua velle, pro sua dexteritate scire, pro sua auctoritate posse remedium quaere re causae laboranti. Est hominum genus, qui etiam in ciuitate vim vi, artem arte, repellere posse sibi persuadent: sed iidem suo malo experiuntur, non hanc geminam esse iuris sui impetrandi viam, sed deuiam, semitam et plerumque nouam iniuriam, si alter queratur, lege et iure coercendam. Neque tamen iudex partibus sese obtrudit: ad eundus, rogandus, implorandus, et, ut officium faciat, implorantibus succurrat, laesos restituat, iniuriam metuentes defen dat, admonendus est.

### §. III.

#### IVDICIALIS VIA NON VNA.

Iudici implorato non vna data est via, qua ad querentis auxilium procedat, quas omnes commemorare infinitum foret, et a meo instituto alienum. Duas commemo rabo semitas, ut maxime contraria inter se magis elucescant. Alteram dixerim maxime ordinariam, alteram maxime extraord inariam. Illa vulgaris est et quotidiana et

A 3 omni-

omnibus iudiciis communis, quando aucto-  
re officium Iudicis implorante hic reum ci-  
tat, eius dilatoria audit, litem contestan-  
tem peremtoriasque exceptiones subiung-  
gentem, immo reconuentione vtentem ad-  
mittit, probationes et reprobationes iniungit,  
harum causa testium rotulos conficit,  
documentorum editiones recognitionesque  
imperat, iuramenta suscipit, conscientiae  
exonerations non negligit, de his omni-  
bus disceptari patitur, denique omnibus re-  
liquis ordinarii processus adminiculis ad-  
missis, causa conclusa litem sua sententia de-  
finit. *Posterior* via est singularis prorsus,  
et in omnibus inferioribus maxime iudiciis  
neutiquam obuia, quando Iudex, altera  
parte ne quidem audita, decernit, definit,  
mandat, rescribit, iubet, vetat, pari-  
tionemque proposita poena iniungit.

#### §. IV.

##### POSTERIOR VIA MAXIME EXTRAORDINARIA LEGITIMA TAMEN.

Vix equidem pati videtur ratio et  
aequitas, ut Iudex, summae etiam auctoritiatis,

51.

tatis, qui tamen lege et ratione est inferior, iisdemque se subiicere, ni in Tyrannum degenerare velit, omnino tenetur, hanc ingredi possit semitam. Aduersantur, obloquunturque aeterna illa principia: *audientiam esse partem alteram, neminem indefensum esse condemnandum, summum tale ius esse summam iniuriam, non esse ullius hominis, etiam prudentissimi, in facto plane non errare, neminem puniendum esse, nisi eum, de quo liquido constat peccasse, et quae alia sunt Iuris naturalis principia et regulae, isti procedendi modo fere a diametro aduersantia.* Verum enim vero, ut iura nostra vbiique exceptionibus abundant, ita et hic istae regulae in pluribus casibus non impedient Iudicem breuissima ista incedere via. Fac, implorantem narrasse factum, quod accurate inspectum ita se habet, ut nullo modo excusari, nec ullo Iuris colore defendi possit. Res prorsus omni venia indigna seuero poenalique pracepto recte coercentur. Fac, imminere imploranti damnum, ni ei mature succurratur, omnino tale, quod nullum admittit remedium, idemque cum manifesta iniuria sit coniunctum. In tanto metu merito sua auctoritate Iudex intercedet,

det, et subueniet tempestiue rei alias non restaurandae. Fac, ipsius reipublicae interesse, vt aliquid fiat aut non fiat; et merito Iudex sequatur regulam magni momenti:  
*Salutem Reipublicae legem esse supremam.* Fac generatim, rem aliquam nullam moram ferre, et tunc quoque Iudex non male, ne mora forte obsit, imploranti sua auctoritate cauebit.

### §. V.

#### PRAESIDIVM PARTI ADVERSAE SVPERSTES IN NARRATORVM FALSITATE REPOSITVM.

Iudex, vt vidimus, aliquid fieri vel non fieri iure ainnuente praecipit, et, si reus non pareat, poenam minatur. Videtur nihil esse relictum parti, contra quam proceditur, quam vna parendi obsequendique gloria, quae tamen va!de iniucunda est, et cum damno eximio saepenumero coniuncta. In facto consistunt circumstantiae a parte implorante narratae, quas pro verissimis habet Iudex non vna motus ratione. Non patitur bona fides, cuius merito summa omnibus

bus debet esse cura, vt quis rem aliter narraret, quam vti illa reuera se habet. Iudex est persona tantae auctoritatis, vt, si aliis mentiri sit turpe, huic ipsi mentiri merito habetur longe turpissimum. Denique et hoc in fauorem partis implorantis Iudicis auxiliūm persuadet, vt recte narrasse, et iusta petitisse eo lubentius credas, quod mendaciorum Architecto omnino verendum sit, ne ista mendacia sint vitae breuis, istaeque umbras artificiose satis aliquando effectae depictaeque ad veritatis allatae radios euaneant. Verum enim vero ista omnia nihil impediunt, quo minus falsa narrantur, iniusta petantur. Affectuum aestus et falsa de bonitate causae persuasio, vindictae per litis protelationem exercendae cupidus, vana spes de incerto litium euentu, et quae alia homines a recto tramite auertere solent, talia persuadent comminisci, quae laetum iudicii ostendunt initium. Vnicum huic malo remedium vera narratio aduersam falsitatis conuincens, quam exceptione interposita ad liquidum perducere non potest non parti, quam imploratam vocamus, esse licitum et concessum. Atqui ita demum constat, et iure mandasse et praecepisse iudicem,

B  
et,

et, salua veritatis allegatione falsitatisque demonstratione, superesse ei, cui mandatum, iuris aliquod auxilium. Atque ita concidunt supra memorata, quae isti Iudicis imperio plane aduersari videbantur. Auditur adhuc pars, non obstante Iudicis iussu, vera traditura. Non indefensus condemnatur, cui falsorum demonstratione se tueri est concessum. Nec sumnum ius adest, nec summa iniuria. Non errat in facto iudex, cui rectiora exponere licet. Non punitur obsequium negans, si constat ex iusta causa non paruisse.

### §. VI.

#### VIS ET POTESTAS IUDICIALIS PRAECEPTI SVSPENSA.

Ex his nunc sua sponte sequitur, licet illud Iudicis praeceptum omnem rigorem prae se ferat, simpliciter iussui parendum esse velit, idem comminatione poenali sit munatum, nec ullum in eo caput appareat, quo quibuscumque aduersus actoris intentionem exceptionibus se tueri, in ordinariam iuris viam ingredi, beneficiis legum vti sit permisum:

missum: tamen id non esse vetitum, sine  
cuius permisso non possent non omnia labo-  
rare summa iniustia. Narravit pars Iudicis  
auxilium implorans, probabilia Iudici vi-  
dentur narrata, et causa de caetero, ut su-  
pra est expositum, ita videtur comparata, ut  
nihil supersit, quam ut ista lis via omnium  
breuissima finiatur. Praecipit itaque Iudex,  
et quidem serio et sub poenae comminatione.  
Pars aduersa statim animaduertit, falsa aut  
falso esse narrata, et haec Iudici modeste  
exponit, ita se rem non habere, ut narra-  
tum, ostendit et demonstrat, ideo obse-  
quium suum se distulisse ait, mutatum iri  
praeceptum et sperat et petit. Si nunc quis  
Iudici commodaret haec verba: Iudex sum,  
Iudex magnae auctoritatis, Iudex omnium  
supremus, iussi et poenam sum comminatus,  
fidem habui aduersario tuo, ille videtur me  
fefellisse, immo ex allatis a te constat, falso  
eum narrasse, aliter se rem habere existima-  
ui, cum iuberem, sed semel iussi, tibi prae-  
ter obsequii gloriam nihil relictum est, poe-  
nam mereris, et, ni statim in re etiam ma-  
nifeste iniusta adhuc pareas, poenam sen-  
ties, iussus mei auctoritas ab eo momento,  
quo ille ad te peruenit, te validissime con-

strinxit, non parendo peccasti. Si, inquam, quis haec Iudicem sentire contendat, num eum recte sentire dixeris? Non puto. Iudicis auctoritas summa summam exigit reuerentiam, sed et in Iudice summo summa praesumitur religio, quae prohibet credere Iudicem velle, quod noluisset, si statim ab initio de circumstantiis negotii rite fuisse edoctus. Ex quo inuite concludimus, Iudicis cuiuscunque, etiam summi iussum pendere, donec haec de veritate aut falsitate narratorum quaestio est euacuata.

### C A P V T II.

#### §. I.

### T R A N S I T U S A D I V R I S C I V I L I S E T C A N O N I C I P L A C I T A .

**Q**uae in superiori capite ex rectae rationis dictamine et aequitatis principiis de prompta tradidi, ita sese habent, ut existimem, non posse quenquam, saltim quod ad ipsum rei cardinem attinet, ab iisdem discedere. Cum tamen peruulgatum sit, nostram rem publicam non vnice Iure naturali regi, sed

sed etiam Iurium communium, cum Ciui-  
lis, tum etiam Canonici, agnoscere auto-  
ritatem; merito nunc videndum, quid illa  
statuant, et in rem nostram praecipient. Et  
eo quidem lubentius ad ea indaganda acce-  
si, quod scirem, omnium Legum hoc esse  
praecipuum requisitum, vt ne rectae rationi  
aduersentur, adeoque dubium non esset, ea,  
quae ex rationis disciplina selegeram, Iuri-  
um modo memoratorum assensu neutiquam  
posse destitui. Satis constat inter omnes, illa  
Iurisprudentiae lumina, Iuris Romani con-  
ditores, cum Iureconsultos tum Imperato-  
res horum opera vsos, fuisse Iuris naturalis  
peritissimos, Pontifices quoque idem institu-  
tum seruasse, et multa secundum regulas  
aequitatis inflexisse, vt adeo non uno in lo-  
co reperiantur in rem nostram idonea. In-  
primis huc facere videtur doctrina de *Inter-  
dictis*, siue eo nomine appelles illa, quae  
vetant, et reapse *interdicunt*, siue illa, vbi  
aliud quid *inter duos dicitur*. a) Verum  
enim vero cum illa vetusta Interdicta fuerint  
formulae et conceptiones verborum, eo si-  
ne conceptae atque ordinatae, vt Praetor

B 3

Iu-

a) *f. I. I. de Interdictis.*

Iudicem, quem de quaestione facti dabat, instrueret et informaret, quomodo in tali controuersia instruenda et iudicanda se gerere debeat: b) perspicuum est, his formulis cum illo iussu, quem in primo capite delineavi, non satis conuenire. Et quamuis deinde, cessantibus ipsis formulis, hoc nominis mererentur *actiones*, *quae pro his exercebantur*, c) hae tamen ipsae quoque, ut ab Interdictis promanantes, ab iussu modo memorato distant, licet affinitatem inter vtrumque negocium aliquam reperiri posse non negem. Satius igitur erit, breuiter Rescriptorum naturam ex utroque Iure perpendere.

### §. II.

#### RESCRIPTORVM INDOLES.

Rescriptum sine dubio est Iussus Superioris ad inferiores parentesque directum; vbi Superioris nomine intelligitur vel ipse Princeps, vel Iudex aliquis Supremus vice

b) Vid. IANVS A COSTA  
ad rubrum Tit. Instit. de

*Interdictis.*  
c) Pr. de *Interdictis.*

sacra Ius dicens. *Rescriptum esse scriptu-ram ipsum nomen indicat, et omnino po-stulat eius rei, quae Rescriptis continetur, grauitas, ut de ea re certo certius et in per-petuum constare debeat; et ita voluerunt Imperatores Grat. Valentin. et Theodos. in l. i. C. de Mandatis Principum: omnes sciant nemini quicquam, nisi quod scriptis probaue-rit, esse credendum, nec ullius dignitate ter-reri. Siue ille Tribuni, siue Notarii, siue Comitis proferat dignitatem: sed sacras no-stras literas esse quaerendas.* Rescriptum etiam *Epistola* dicitur, per quam Impera-tor constituere dicitur, a) quod ipsum satis indicat, non proprio motu emanare Re-scriptum, quod Edicti est, et in sensu quo-dam speciali Mandati, sed ad preces oblatas rescribi atque responderi. In precibus nar-rari factum aut non factum, iisque rogari conuenienter, res ipsa ostendit.

### §. III.

#### PRECVM REQVISITVM, VT VERITATE NITANTVR.

Monitum est in superiori capite inter Viri boni officia neutiquam esse postremum,

Studi-

a) §. 6. I. de Iure Natur. Gentium et Civil.

Studium Veri; vnde fluit, illius in primis  
oportere esse memorem eum, qui Iudicem  
alloquitur, non narrando tantum, sed et pe-  
tendo et flagitando; denique illud officium  
eo sanctius esse custodiendum, quo maioris  
dignitatis est ille, ad quem preces fundun-  
tur. Nihil operatur illius, qui ad falsa nar-  
rata rescribit, auctoritas, vt inde credas  
iussum, quocunque demum modo impetrat-  
um, esse periuaturum. Fuerunt in ea sen-  
tentia, vt fere videtur, illi, quorum men-  
tionem facit INNOCENTIVS III. Pontifex, a)  
dicentium, quod, etsi forma carere debeant  
expresa in literis, nihilominus iuxta rigo-  
rem iuris a delegato iudice in negocio sit  
procedendum, et quorum sensum non nisi  
sub debita restrictione, et in falsis ex sim-  
plicitate et ignorantia narratis admisit Pon-  
tifex. Regula itaque vtriusque Iuris est:  
*Non valere Rescriptum nec obligare, nisi  
PRECES VERITATE NITANTVR, cum  
aliquo tamen discrimine.* Scilicet Impera-  
tor ZENO constituit, vt vniuersa rescripta  
hanc conditionem habeant insertam: Si  
preces veritate nitantur, ita quidem, vt nec  
ali-

a) In cap. 20. X de Rescriptis.

aliquem fructum prelatorum oraculi percipiat  
imperatori, licet in iudicio adserat  
veritatem, nisi quaestio fidei precum im-  
periali beneficio monstretur inserta. Immo  
idem Imperator Magistratibus dictantibus  
et Iudicibus suscipientibus reprehensionem,  
Scribis etiam amissionem cinguli minatur.  
Ex quo facile colligere est, quae Imperiali  
Iure vis et potestas sit eorum Rescriptorum,  
quae veritate non nituntur, cum et illa, quae  
nituntur veritate, ob formam praescriptam  
sed neglectam, nullius sunt ponderis aut  
valoris. Dubio procul ZENO Imperator  
hoc ideo constituit, ut Iudices in omnibus  
Rescriptis ipsa litera commoneantur: Non  
preces, non epistolam, sed ipsam vnicę rei  
veritatem esse inspiciendam. Aequiora et  
faciliora placuerunt Pontificio Iure, ne par-  
tes iurium saepe imperitiae, ob formam ex-  
ternam, Scribarum oscitantia vel Iudicum  
suscipientium negligentia, omissam imme-  
rentes damnum sentiant. Rem ipsam ta-  
men suscepérunt studiose, Iuris Naturalis  
placita agnouerunt, et ea suis sanctionibus  
firmauerunt. Ita ALEXANDER III. a) haud  
obscu-

a) Cap. 2. X. de Rescriptis.

C

obscure Iuris Civilis rigorem temperans :  
*et in huiusmodi literis intelligenda est haec  
conditio, ETIAM, SI NON APPONATVR,  
SI PRECES VERITATE NITANTVR.*  
Quod ipsum ut aequius melius in nostris fo-  
ris seruatur, testante etiam B. Boehmero. b)

#### §. IV.

PARATVM ADVERSVS RESCRIPTVM, SI  
PRECES VERITATE NON NITANTVR,  
AVXILIVM SVB-ET OBREPTIONIS  
EXCEPTIO.

Vti nullum dubium est, Principem pre-  
cibus porrectis motum, si secundum petita  
rescribat, summa cum auctoritate illud fa-  
cere, et illis, ad quos pertinet iussus regius,  
eundem pro Lege esse, quo nomine etiam  
inter Constitutiones Principales, vt iam  
monitum, suum locum occupat, ita quoti-  
diana tamen testatur experientia, non ita  
semper narrari factum, vt nihil in eo pecce-  
tur, quamuis bona narrantis fides, tum eius,  
cui narratur, summa auctoritas, et ipsa illa

BESTIARIA MAXIMA CLAVUS

b) In *Jure Eccles. Protest. ant. ad h. t. de Rescriptis. §. 4.*  
*Tom. I. p. 183.*

••• ( \* ) •••

clausula vel ex Iuris Ciuilis praescripto expressa, vel Iuris Canonici aequitate tacite subintellecta aliud suadere videantur. Hoc contigisse, vbi animaduertit ille, cui Rescriptum graue est, paratissimum habet medium ad legalem Rescripti vim sufflaminandam, quod *Exceptionem tum Subreptionis tum Obreptionis* vocare solemus. Solet fere haec Exceptio haberi pro vna, et nihil frequentius in foro, quam vt, ipsis falsae narrationis circumstantiis subtiliter non excussis, pars altera eaque laesa conqueratur sub- et obreptum esse, absque omni damno, quod constet, aut illud, aut hoc, aut vtrumque euenisse. Sed et sunt Viri docti, qui inter *Subreptionem* et *Obreptionem* nihil interesse contendunt, quos et allegauit et ipse sequitur PETRVS FRIDERVS MINDANVS a) existimans, in rei veritate inter sub- et obreptionem nullam esse differentiam, Rescriptumque vtroque modo dici subreptium et obreptitium, siue taceatur veritas, siue exprimatur falsitas. Atenimuero, cum tamen in re ipsa sit insignis differentia, aliud que sit reticere verum, de quo si Principi  
 C 2 con-

a) *L. I. de Process. Mand. etc. c. 15. §. 3.*]

constitisset, precibus non annuisset, aliud fingere falsum, cuius naturam si sciuisse Princeps, neutquam petenti indulsisset, immo etiam alterum altero sit grauius; cum verum etiam per imprudentiam reticeri queat, falsum non nisi ex dolo fingi, ista etiam Pontificem a) mouerint, vt inter tacitam veritatem et suggestam falsitatem, rursumque inter eos, qui veritatem suppressimunt et eos, qui falsitatem exprimunt et in pluribus aliis istius capituli locis similem in modum sollicite distinxerit, non male, immo accurate facturos esse existimo, qui singulas mendacii species singulis propriisque nominibus distinguent, quod et probatum video B. BOEHMERO. b) Est itaque Subreptio, cum precatores falsitatem exprimunt, falsisque et mendacibus supplicationibus Rescripta impetrant; Obreptio vero, cum veritas in precibus reticetur, vel aliud quidpiam celatur, quod expressum, Principis animum in diuersam traxisset sententiam, vti tradit GONZALEZ TELLEZ, c) et vtrum-

a) Cap. 20. X. de Rescriptis.

b) In Iure Ecclesiast. Protest. Tom. I. p. 184.


c) Ad Cap. 20. X. de Rescriptis.

que peccati genus exemplis ex Iuris Canonicis textibus illustrat.

§. V.

EXCEPTIONIS MODO MEMORATAE, SI  
DE EIVS VERITATE CONSTET,  
EFFECTVS.

Supra vidimus, esse non leuem inter Ius Ciuile et Canonicum differentiam. Quod ad illius placita attinet, prima inspectio est, num *quaestio fidei precum*, ut ZENO Imperator loquitur, *Imperiali beneficio monstratur inserta*, hoc est, num ex ipsis Rescripti verbis constet, quaestionem illam de fide precum oblatarum non fuisse neglectam, et auctoritas Rescripti ab ista conditione: *si veritate nitantur preces*, expressis verbis sit suspensa, an vero Rescriptum ista fidei quaestione careat. Isto casu precator oraculi, cui formam exigere a Scribis incumbebat, ut contemtor Regalis sensus, nullum frumentum ex oraculo impetrato percipiebat, etiam si negligentiam suam excusare et fidem in quaestione ponendam reapse adfuisse, cum preces funderet, demonstrare foret paratus. Hoc casu eo attentius nunc



dispiciendum, num preces veritate nisi per mendacium asseruerit precator, ideo audiens reus idem aliter omnino se habere asserens, et pro diuersitate circumstantiarum res mediantibus probationibus ad liquidum perducenda erat. a) Quod ad placita Iuris Canonici attinet, omissione quaestionis fidei precum Rescripto obtento nihil obest; inesse eandem tacite, quod ipsa rei natura hoc flagitet, merito credidit Pontifex. Nec inter falsitatem suggestam et veritatem tacitam aliquod discriminem statuendum esse, idem est opinatus, cum non modo preces mendaces, sed etiam preces narrationi imperfectae innixae, veritati, quam Rescribens subesse putauit, e diametro aduersentur. Potius *inter eos, qui per fraudem et malitiam, et illos, qui per simplicitatem et ignorantiam literas impetrant, aliquam discretionem adhibendam censuit.* De illis plane clamatum est, ut siue falsitatem expresserint, vel veritatem suppresserint, nullum ex literis commodum consequantur. Quod ad hos attinet, rursis distinguendum duxit Pontifex.

Aut

a) Vide, si libet, B. BOEHMERVM in *Iure Ecclef. Protestant.* ad h. t. de *Rescriptis* s. u. Tom. I. p. 188. de hac re accurate differentem.

771.

Aut enim preces ita sunt comparatae, ut falsitas per ignorantiam suggesta, aut veritas tacita induxisset Rescribentem, ut re aliter comperta nunquam literas concessisset, et Rescriptum pariter vires non habet: Aut falsitas suggesta vel veritas suppressa illa erat, quae quamvis fuisset illa quidem tacita, haec autem expressa, nihilominus Pontifex Rescriptum concessisset, et tunc Rescriptum vires habet, ut hoc probe ad ductum cap. 20. X. de Rescriptis obseruavit TELLEZIVS, additis etiam idoneis rationibus, a) quod ad illos attinet, qui fraudulenter et malitiose agunt, ut doli sui hanc sentiant poenam longe aptissimam, ut nempe priuetur impetrator commodo Rescripti impetrati; quod ad illos attinet, qui absque fraude per simplicitatem tamen et ignorantiam aliter, ac decebat, narrarunt factum, ut, licet non propter culpam impetrantis, propter defectum tamen voluntatis, Rescriptum vitietur; quod ad tertium ultimumque genus precatorum attinet, cum mala narrata nihil mouerint Rescribentem, istud ignorantiae et simplicitati eorum esse indulgendum.

### §. VI

a) Ad d. Capit. n. 9. et 10.

## §. VI.

RESCRIPTI AB HIS EXCEPTIONIBVS  
PENDENS AVCTORITAS.

Summae auctoritatis esse vocem Principalem Rescripto comprehensam nemo negabit, qui apud se perpenderit, inter Leges etiam Constitutionumque species illud referri. Ea Maiestatis vis est, ut dubio procul omne id, quod ab eo fonte procedit, in consensum obsequiumque rapiat, nec nisi suo malo, quos summa potestas constringit, eidem aduersari queant. Reuera tamen Edictorum maxime haec est natura, ut, postquam motu proprio Princeps omnibus aliquid edixit, subditis simpliciter parendum sit, quod ipsum etiam Mandata aemulantur. Sed et Decreta inter Constitutiones Principales referuntur quae tamen ita non constringunt partes, inter quos Ius dictum est, ut non liceat intra solenne illud decendum non aliqua supplicatione vti. Denique Rescripto ne quidem illud decendum limites ponit, cum non inter partes causa cognita emanauerit, sed ad nuda narrata precatorum a Principali indulgentia profluxerit. Eo tendit Rubrum Codicis: *Comminationes,*  
*Epi-*

*Epistolas, Programmata, Subscriptiones au-  
toritatem rei iudicatae non habere. Rescri-  
ptum adeo nec ad omnimodum obsequium  
obligat, nec temporis limitibus includitur.  
Vna remora in Exceptione, cuius duplex  
effectus oppositae suspensio, probatae nullitas;  
visio autem potest concipi quadruplex.  
Quispam fundit preces, Princeps annuit  
et rescribit, preces nituntur veritate, Rescri-  
ptum Legis speciem refert, cui parendum.  
Alius fundit preces, Princeps pariter annuit  
et rescribit, is, cui rescriptum, eo se graua-  
ri sentit, falsitatem suggestam veritatemue  
suppressam obseruat, eo nomine conqueri-  
tur, dubio procul audiendus est, et Rescri-  
pti vis interea manet in suspenso. Quidni?  
Ius Ciuale istam Exceptionem disertis verbis  
seruari praecipit, Ius Canonicum tacite in-  
esse ait. Illud etiam Iudicem decem libra-  
rum auri multa iubet puniri, qui vetuerit  
precum argui falsitatem. a) Nunc ille,  
qui falsitatem precum allegavit, aut ipse  
in probatione deficit, aut alter temere alle-  
gatam*

a) l. 3. C. Si contra Ius vel virilitatem publicam, vel  
per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impe-  
ratum,

D

gatam esse ostendit, atque ita suam narratis constare fidem apparet, quo facto Rescriptum Legis vim induit, et omnes, ad quos ea res pertinet, ad omnimodum obsequium obligat. Sed fac ultimo loco, ut Impp. eleganter loquuntur in l. 2. C. si contra Ius vel utilitatem publicam vel per mendacium aliquid fuerit postulatum, de Praescriptione mendaciorum opposita satis constare, siue in iuris narratione mendacium reperiatur, siue in facti, siue in tacendi fraude, tenor veritatis vincit, Rescriptum pro non scripto habetur, et saltim haec poena manet precatorem, ut commodo Rescripti excidat. Immo Iuris Civilis rigore aliam adhuc poenam pati foret non iniquum. Ita enim in d. tit. C. l. 5. alii Imperatores: *Et si legibus consentaneum oraculum mendax attulerit precator, careat penitus impetratis: et si nimia mentientis inueniatur improbitas, etiam seueritati subiaceat iudicantis.*



CA-

## C A P V T III.

## §. L

IN SIGNIS RESCRIPTORVM SPECIES  
MANDATA IN VTROQVE SVMMO  
IMPERII IUDICIO VSITATA.

**M**andati nomen, si generaliter capias, longe plurima et diuersissima complectitur, ita ut cum viuorum tum morientium sint. Ita Augustus integro volumine *mandata de funere suo* complexus est teste SVETONIO in Vita. a) Quod ad Mandata viuorum attinet, aut est mandantis ullum in alterum imperium, aut non est. Posteriori in casu vniua mandantis mandatariique voluntate opus est, quibus per conuentionem spontaneam coniunctis peculiaris contractus nascitur, quem *Mandati* appellamus. Mandata eorum, qui gaudent imperandi potestate, in sensu latiore si accipias, quoscumque iussus, Edicta etiam et Leges complectuntur. b) Et videtur eo tendere usus hodiernus et stylus curiae, quoties

D 2 Man-

a) c. 102.

b) HAHNIUS in *Obseruat. ad Wesenbec. tit. D. Mandati n. 2.*

Mandata monetalia, Mandata de mendicantibus, de Furibus et Raptoribus et similia promulgantur, vera Edicta et Leges Principumue Constitutiones, quibus motu proprio omnibus aliquid mandant et praecipiunt. Porro Mandata in sensu Iuris Romani appellantur praecepta Principum, quae Praesidibus in prouincias proficiscentibus dabantur, quibus omnia, quae eorum muneri et officio incumbebant, continebantur, eaque vel publica vel arcana, de quibus consulendus BRISSONIUS in suo *de Verborum significatione* praeclaro opere. Sed et hodie Ducibus militaribus, maiorum minorumque gentium Praefectis, Legatis, Commissariis, Iudicibus varia mandari peruulgatum est. Inprimis autem in Iudiciis etiam occurrunt Mandata, maxime in Augustissimis Imperii Romano-Germanici Tribunibus, quae, definiente GVL RODINGO a) sunt Praecepta, quibus Camera Imperialis (Iudicium Imperiale Aulicum) plerumque ad instantiam supplicantis alterum sub certae poenae comminatione, vel quid dare, vel facere, vel omittere iubet. Ex qua ipsa defini-

a) In Pandectis Cameral. L. III. T. V. initio.

definitione constat, cum ad instantiam Sup-  
plicantis emanent, ad classem Rescri-  
ptorum esse eadem referenda, nec cum  
decretis, multoque minus cum Legibus  
confundenda.

## §. II.

HORVM MANDATORVM GEMINA  
SPECIES CVM CLAVSULA ET SINE  
CLAVSULA.

Non vnum genus est Mandatorum,  
adeoque variis diuisionibus ordinari possunt.  
Vide, si lubet, RODINGVM allegato loco.  
Ad hoc argumentum inprimis spectat cele-  
berrima distinctio, quo Mandata ista in  
*Mandata cum Clausula et Mandata sine Clau-  
sula* dispescuntur. Clausula illa appellatur  
stylo forensi iustificatoria, quae, si Manda-  
to legitur inserta, cum clausula, sin absit  
eadem, sine clausula Mandatum esse dicitur.  
Formula huius clausulae haec est, ut reus  
Mandato pareat, vel in termino constituto  
compareat ad allegandum causas, quare  
Mandato parere non teneatur. Ita RO-

DINGVS in suis Pandectis Cameralibus, a) et haud paulo clarius Excellentiss. PÜTTERVS in Introductione ad Rem Iudicariam Imperii: a) *Ipsa vero Clausula Iustificatoria, in qua omne Mandatorum C. et S. C. discrimen versatur, eo tendit, ut reus, si parentum haud crediderit mandato, quascunque exceptiones sive caussales, aequa ac in ordinario citationis processu proferre possit, ut reuera quasi alternative, ut aut pareat, aut caussales proponat, illud mandatur reo, ad hoc citetur, duplaremque tunc processus speciem incidere posse, scilicet, ut, si nullas reus proponit caussales, processus mandati continuetur, sin, quod plerumque fit, reus causales profert, mandatum tale in vim simplis querelae resoluatur, i. e. processus eodem modo, uti ordinarius citationis processus, continuetur.* Haec omnia secus se habent, si Mandatum emanauerit sine illa clausula iustificatoria exceptiones quascunque admittente, de qua specie, illa altera omissa, pro Instituti ratione porro nonnulla dicenda sunt.

## §. III.

a) *L. III. Tit. V. §. 4.*

b) *P. I. L. II. Sed. II. c. V. §. 313. 314.*

## §. III.

MANDATORVM SINE CLAVSULA  
INDOLES, PRIMA SPECIE SAT  
GRAVIS.

Terribilis videtur esse facies eiusmodi  
*Mandati sine Clausula* primo intuitu, et  
omnibus illis aequitatis regulis, quarum  
prima et potissima et omni fere exceptione  
carens haec est: audiendam esse alteram  
partem, antequam Iudex suo officio fungi  
incipiat, e diametro aduersatur. Ita enim  
REDDINGVS in Pandectis Cameralibus: a)  
*Mandata sine Clausula sunt, quae clausulam*  
*iustificatoriam annexam non habent, et qui-*  
*bus Iudex reo partitionem E VESTIGIO*  
*praestandam PRAECISE imperat, et quibus*  
*SINE EXCEPTIONE parendum est:* die ohne  
alle Einrede, oder einige Wiederred, oder  
Verhinderung zu vollziehen. Verum enim  
vero, vti pro quounque Iudice aequitatis  
legalitatisque militat praesumtio, ita eo for-  
tior illa evadit, quo Iudex maioris est au-  
toritatis Senatoribusque vtitur dignitate,  
eruditiois fama, auctoritatis splendore su-  
perio-

a) *Lib. III. Tit. VI. init.*

perioribus. Non placuerint Mandata et  
iis innitens Processus Summis illis in Imperio  
nostro Iudiciis, nisi iustitiae idoneis funda-  
mentis inniterentur, quae indagasse sco-  
po meo inseruit.

#### §. IV.

**LOCVS EIVSMODI MANDATIS, NON  
QVANDO IVDICI PRO ARBITRIO  
LVbet, SED QVANDO IPSA RES  
HOC EXIGIT, AVT PATITVR.**

Primum est quod mandare sine clausula  
vel non mandare in mero beneplacito Iudiciis,  
etiam summi, neutquam sit positum,  
multo minus cuiilibet actori ad istam proce-  
dendi viam cum effetu prouocare sit lici-  
tum. Minus ab hoc impetu est periculi,  
quod Iudicis arbitratui istae preces omnes  
sint subiectae. Sed Iudex limites sui officii  
transiret, si quacunque in causa pro lubitu  
obsequium vel ad preces vel sponte sua vel-  
let imperare, atque ita reum, ne iure suo  
exceptionibusque legitimis vratur impedire  
vellet. Summis etiam Imperii Iudiciis du-  
dum Vniuersales Imperii Leges certos eos-  
que iustissimos limites posuere, intra quos  
etiam

etiam vice sacra iudicantis summa iudicaria  
potestas sese merito continet. *Primus* et  
potissimum casus est, si factum, quod preces  
fundens narravit, sit nullo iure iustificabile,  
quodque adeo sui iam natura clausulam iu-  
stificatoriam plane respuit. Praeclare Ordinatio  
Cameralis de A. 1555. P. II. Tit. 23. pr.  
Sezen, ordnen und wollen wir, daß an dem  
Kayserl. Cammer-Gerichte, die Mandata und  
Gebote nicht anders denn mit Einverleibung  
Clausulae iustificatoriae --- erkannt werden  
sollen. Es wäre dann, daß die Sach und  
Handlung, darüber die Kayserl. Mandata zu  
erkennen gebeten, an ihr selbst von Rechts oder  
Gewonheit wegen verboten, und, wo dieselbe  
begangen, vor strafwürdig oder unrechtmäßig  
zu halten: *Alter* casus est: si damnum irre-  
parabile immineat, cuius auertendi non alia  
est via, quam illa celeberrima, facto eius-  
modi summa auctoritate intercedendi. Eadem  
Ordinatio Cameralis: oder daß dadurch  
dem Anrufenden Theil eine solche Beschwerde  
aufgelegt und zugefügt würde, die NB. nach  
begangener That nicht wieder zu bringen. *Ter-  
tius* casus est, si mandari ipsius reipublicae  
interest, cuius Salus suprema Lex est, et  
*quartus*: Si res moram non ferat, secundo  
E valde

valde affinis. Eadem Imperii Lex: oder daß die Sache wieder den gemeinen Nutz wäre, oder keinen Verzug leiden möchte: adiecta generali clausula, pariter tamen valde restricta: Dann in solchen und anderen Fällen, in denen vermöge der Rechte a pracepto ohne vorhergehende Erkenniss angefangen werden mag, sollen und mögen durch Cammer-Richter und Beysitzer Mandata ohne Iustificatori Clausul erkannt werden. Haec tam curate exposita indicant, quanti haec res sit praeiudicij, quam caute in decernendis mandatis sit procedendum, quam plane sit abstinentum a mandatis, si iure annuente ea neutquam emanare possint. Olim facilior fuisse videtur Mandati S. C. impetratio, sed in hodiernis sese habet modo inuerso, quia Mandata sine Clauſula longe difficilius impletantur, adeo, ut de aliquo mandato decernendo extraiudicialiter nonnunquam pluribus diebus sit deliberatum, quam in causae grauioris decisione plenaria, teste B. Dn. de L V D O L F a) omni sane exceptione maiore.

## §. V.

a) Juris Camer. Sect. I. f. 10. p. m. 94.

## §. V.

IMPETRATA MANDATA COMMVNEM  
RESCRIPTORVM NATVRAM  
SEQVNTVR.

Narrat factum Precator nullo iure iustificabile , aut irreparabile damnum sibi imminere conqueritur , aut quod fieri aut non fieri Reipublicae interfit , aut quod moram non ferat , aut simile , vt praecepto iure annuente locus sit , num recte narrauerit , superest dubitatio . Communis Viri boni praesumtio a) pro narrante omnino militat , et Iudicem olim dubio procul saepe induxit , singulari circumstantiarum nexu simul impellente , vt facilis fuerit in mandando ; sed docuit experientia , istam bonam fidem saepe deficere , et artificiose homines posse mentiri , vel falsitate suggesta , vel tacita veritate , ideoque de insigni Remedio sollicita fuit celebratissima Lex , Recessus Imperii nouissimus de A. 1654. §. 79. ita constituen do : Alle Supplicanten sollen ihre Narrata zu gleich etlichermaßen bescheinien , damit der Re-

E 2

ferent

a) Cap. fin. X. de Praesumt. in fine.

ferent in Erfahrung der Processen nicht malitiose hintergangen und vervortheilt werden möchte. Demonstranda itaque est narrorum veritas quadantenus; Quid enim si reus narrata negare aut nequeat aut nolit: operosa sane et plena probatio foret onus superfluum. Augetur ita narratorum fides, et nihil supereft, quam ut Iudex mandet id, quod voluit prelator, fieri aut non fieri. Qui vero? adhucdum secundum communem Rescriptorum naturam, Iurisque Canonici sententiam, SI PRECES VERITATE NITANTVR. Si in re, quam ratio recta aliter se habere non patitur, teste opus est, ut auctoritate celebris Camerae Assessoris *Andreae GAILII*, a) qui, *Principis*, inquit, *Rescripta, omnia eius mandata (loquor de mandatis Camerae Imperialis, quae sub nomine et sigillo summi Principis, hoc est, Caesaris decernuntur) cum vel sine clausula TACITAM habent conditionem, SI PRECES VERITATE NITANTVR.*

## §. VI.

a) L. I. Obs. 14. n. 1.

## §. VI.

EXCEPTIONI SVB - ET OBREPTIONIS  
ETIAM HIC LOCVS, ET AB EA  
PENDET MANDATI S. C. VIS  
ATQVE POTESTAS.

Narravit factum, in quo a praecepto Processum incipere licet, et quadam tenus demonstrauit Precator, eoque ipso Mandatum obtinuit sine iustificatoria Clausula: num nunc nihil remedii aut opis reo supereft, quam vt tanta auctoritate motus simpliciter pareat, et, si non pareat, executionem patiatur? Videntur in ea sententia fuisse aut eidem saltim patrocinari nonnulli ICti, qui volunt: *Esse illud hic (in Processu Mandati S. C.) maxime singulare, quod inuerso procedendi ordine executio ante suscipiatur, quam cognita plene causa fuerit, a quibus merito dissentit Ill. MOSERV s a) et falsissimum illud esse obseruat; a praecepto equidem fieri initium, neutquam ab executione, contra illud ipsum praeceptum rei allegationes intra tempus praefinitum admitti, eundem-*

E 3 que

a) In der Einleitung zum Reichs-Hof-Raths-Pro-  
cess P. I. von Mandatis sine Clauses Cap. I. §. 7.

que audiri, antequam ad executionem deueniatur, ita quidem, vt, si istae exceptiones sufficientes inueniantur, ipsum Mandatum non executioni detur, immo cassetur et annulletur. Sed et Leges Imperii publicae et Documenta hoc expresse permittunt. *Memoriale Visitationis de Ao. 1579. §. 10. a)*  
 Doch dem Citirten seine Rechtmässigen Exceptiones sub- et obreptionis, im Fall einige erhebliche zulässige bevor seyn sollten, einzuwenden unbenommen. *Recess. Imper. de A. 1594. §. 77.* Denn auch im dritten, daß in Sachen Mandatorum S. C. keinen Auszuge, denn allein sub- et obreptionis . . . zuzulassen. Immo in ipsa Mandatorum S. C. formula earum opponendarum potestas continetur verbis expressis: alsdenn zu sehen und zu hören um eures Uingehorsames willen in vorgemeldete Pön gefallen seyn, mit Urtheil und Rechtsprechen erkennen und erklären, oder aber beständige erhebliche Ursachen, ob ihr einige hättet, warum solche Erklärung nicht geschehen soll, fürzubringen und endlichen Entschieds darüber zu erwarten etc. vti RODINGVS b)

bene

- a) apud Excellentiss. FÜTTERVM in *Introd. ad Rem Iud. Imper. P. I. L. II. Sect. II. c. 4. §. 300. in nota. i)*  
 b) in *Pandectis Cameralibus L. III. Tit. V. p. 51.*

bene annotat: donec scilicet de validitate mandati constet, seu impetrans mandati narrata iustificet et vera probet. Haec adeo vera sunt et ad substantiam Processus Mandatorum sine Clausula plane pertinent, vt etiam ipsam Mandatorum S. C. definitionem ingrediantur, vti videre est in ea, qua III. M'OSERVS a) vtitur, esse nempe Mandatum sine Clausula Caesareum Rescriptum ad instantiam partis implorantis emissum, cui reum, licet super actione nondum sit auditus, ni incurrere malit nunquam non insertam poenam, parere, et mandata adimplere oportet, nisi ostendere queat, rem, de qua alter conquestus est, se ita non habere, vti est narrata. Ex quibus omnibus mea opinione palam est, inter Rescriptum, de quo superiori capite actum, et Mandatum S. C. quod in hoc capite exposui, reapse et hactenus nihil interesse, in vtroque locum habere Sub- et Obreptionis Exceptionem, seu Allegationem: *preces veritate non niti, esse et huius Exceptionis vtr obique eosdem effectus: opposita suspensionem, probatae*

a) In der Einleitung zum Reichs = Hof = Raths = Proces P. I. von Mandatis sine Clausula Cap. I. §. 1.

*batae nullitatem.* Quis nunc dixerit, Mandatum, de cuius validitate vel inualiditate nondum constat, vti RODINGVS supra docebat, aliquid operari? Quis crediderit, intra Terminum parti, contra quam Mandatum est impetratum, praefixum, poenali etiam clausula adiecta, simpliciter esse obtemperandum, cum idem Mandatum permittat, immo iubeat, vt reus allegationibus iustis, si quas habet, et ob quas declarationem in poenam fieri non posse existimat, in ipso Termino praestituto vtatur? Quis asseruerit, Mandatum adhucdum suspensum post terminum allegatis iam Exceptionibus suscepptaque et ab ipso Iudice admissa disceptatione, sed ea adhuc durante, constringere posse eum, qui cassatoriam sententiam et flagitat et sperat? Sed fac, friuolas esse exceptiones aut eas non rite probari posse et nunc ferria Iudice mandante Paritoriam plenam, nunc dubio procul parendum est, quod antea fieri nondum oportebat. Dif- fert scilicet plurimum Mandatum ab ista Paritoria. Mandatum est Iussus, cui pareri poterat, sed et non parere licebat. Paritoria est Sententia super Exceptionibus lata, qua ob istarum inualiditatem denuo paritio in-  
iungi-

iungitur, et simul ipsum Mandatum in verum et obligatorium iussum eualescit. Eadem appellatur plena, manifesto indicio, antea iussui aliquid defuisse. Noui equidem paritorias plenas paritoriis simplicibus proprii opponi. Illud tamen *plenum* ad ipsum Mandatum pertingere iudico, ita, vt plenitidine sententiae Mandatum hunc ipsum in finem quondam emissum, minus plene et imperfecte reum haec tenus obligans, metum magis incutiens futurorum, quam praesentem exserens vim, in vis et potestatis plenitudinem demum simul uehatur.

## C A P V T IV.

## §. I.

## VISIONEM MIHI OBLATAM SISTENS.

H is ita praemissis et ex naturali aequitate rationisque dictaminibus, ex Iurium communium sententia, ex usu Iudiciorum Imperii publico pro modulo praestructis principiis nunc ad ipsam visionem mihi oblatam accedo, quam in facto ita accidisse noui. Aristo apud Senatum oppidanum

F con-

conqueritur, Beatum sibi vicinum, nouum opus aedificando, vltra praedii sui limites progressum esse, et fundi, cuius ad ipsum Aristonem spectet proprietas, aliquam partem, se nesciente inuitoque, occupasse. Decernitur ocularis litigiosi loci inspectio, eaque peracta manifestum fit, Beatum iniuria hoc fecisse, Aristonem iure esse conquestum, et in horum consequentiam Beato omni aedificatione muri sui versus Aristonis hortum iudicali decreto, donec aliud statuatur, interdicitur. Beatus hac iudicali auctoritate nihil motus in aedificando pergit, quo comperto idem omne id, quod post inhibitionem factam, adeoque illaudabili contra inhibitionem contumacia factum exstructumque foret, intra decendum a tempore insinuati interdicti computandum demoliri, rem omnem in pristinum statum reducere, sed et impensas eo nomine ab Aristone factas eidem reddere iubetur. Beatus huius decreti impatiens cautionem de demoliendo opere, si in ista causa succubuerit, offert: index autem, vt in re manifesta, istam cautionem reiicit, et suae inhibitioni praeceptoque de opere contra illam facta demoliendo inhaeret. Ita iudicatum,

tum, ita in Leuterationis instantia confirmatum, ita causa per Appellationem ad Regimen deuoluta pronunciatum, ut adeo tres celeberrimorum Dicasteriorum sententiae cum ICtorum tum Scabinorum super hoc existant conformes. His omnibus non acquieuit Beatus, potius, quod ultimum supererat remedium, ad Imperatoris Imperii-que summum Tribunal, quam Cameram Imperiale vocant, configuit, et ab hoc Augustissimo Iudicio, falsa narrando, non tantum plenos Processus Appellationis, verum etiam Mandatum poenale S. C. de non amplius impediendo exstructionem aedium erga sufficientem cautionem de demolien-do, sed absque vlla mora permittendo, obtinuit. Regimen tanta auctoritate commotum, postquam Mandatum illud S. C. 22. mensis Nouembris die eslet insinuatum, inhibitionem olim decretam remittit, vbi forte satius fuisset, ante omnia Aristonem de decreta cautione certiores reddere, et, qui et quatenus illa pro sufficienti haberi possit, eiusdem audire monita. Sane idem Aristo paulo post Iudicem adit, oblatis literis, in ipso supremo Camerali Iudicio se Exceptio-nes Sub- et Obreptionis rite exposuisse et op-

posuisse demonstrat, easque fundatissimas esse, falsis Adversarii narratis ex Actis profectis adductis comprobatisque ostendit, his conuenienter petens, cum Mandatum venerabile ipsum ita pendeat, suaque vi adhucdum destituatur, ut Inhibitiones factae renouentur, cunctaque in eum statum restituantur, in quo causa ea tempore interpositae Appellationis fuit constituta. Regimen, precum aequitatem perpendens, Acta ad quendam Scabinatum pariter celeberrimum transmisit, at sequentis tenoris Responsum tulit:

Quando quidem ab Regimine in hac ad Augustissimum Camerae Imperialis Tribunal mediante humillima Appellatione delata causa nihil aliud actum est, quam ut id, quod eidem clementissime demandatum fuit, efficere studuerit, illudque ipsum, maxime quod Actor de eo, quod Caesareo Mandato continebatur, sufficienti notitia fuerit imbutus, neque eius causa quicquam in iudicio monuerit petieritue, deficiente maxime clausula instificatoria, neutiquam commode defugere potuit, eamque ipsam ob causam quicquam protelationis intuitu cautionis admittere nequivuit, nunc adeo,  
post-

postquam Appellatio iam admissa , solitae-  
que literae inhibitoriales rite insinuatae sint ,  
eo minus Regimini licet , in hac causa vtte-  
rius quicquam iubere vel vetare , maxime  
quod ipsa Sub - et Obreptionis Exceptio a  
Decisione Supremi Imperii Tribunalis vnice  
dependet : opinamur , Regimini absque gra-  
ui offensionis Iudicis Supremi metu , Man-  
dato contraire , sublatam Inhibitionem re-  
uocare , Actorisque petitis deferre neuti-  
quam esse integrum .

Ego mihi plane non sumo de tam gra-  
uibus Viris , qui in hac re Iudicis officio  
sunt functi , iudicium ferre : licebit tamen ,  
vt Titulus habet , hanc quaestionem Proble-  
matis loco habere , et inspectis vtrinque ra-  
tionibus , salua cuiuscunque reuerentia , di-  
uersae sententiae , Academicae libertatis pri-  
uilegio subnixo accedere . Quaestionis sum-  
ma hoc reddit : *Num Mandatum sine Clausula*  
*quaestione impetratum , emissum , insinuatum ,*  
*ita obstrinxerit Iudicem inferiorem , ut rite*  
*paruisse videatur ei , Inhibitionem ante factam*  
*remitendo , Aristonis adeo preces de Inhibi-*  
*tione renouanda et cunctis in pristinum sta-*  
*tum reducendis recte fuerint neglectae ? Ita*  
censuerunt ICTi , a me negans sententia est

F 3 defen-

defendenda: Nondum Mandatum quaestioneis obstrinxisse Iudicem inferiorem, rite neutquam paruisse Inhibitionem factam remittendo: Aristonis preces de renouanda Inhibitione, reque omni ad pristinum statum reducenda non fuisse negligendas, adeoque *Mandato isti, ob Exceptiones Sub- et Obreptionis oppositas, et donec illae fuis- sent euacuatae, impune potuisse Iudicem non parere.*

### §. II.

#### RATIONES IN RESPONSO ADDVCTAE.

Rationes Affirmantium quaestionem supra propositam ad sequentia redire videntur Capita: I. Appellatum esse humillime a Iudice inferiore ad Iudicem superiorem, eumque Augustissimum Camerae Senatum vice sacra iudicantem. Iam autem constat, effetum interpositae Appellationis plerumque non tantum esse suspensuum, sed etiam devolutium, Rem devolutam non esse amplius in manu eius, ex cuius manu illa provocazione mediante excidit, adeoque ab eo non posse amplius attingi. II. Appellationem interpositam esse admissam, ex quo ipso

ipso porro oritur validissima praesumtio  
sententias istas, licet tres numero sint et qui-  
dem conformes, non ea iustitiae radiare lu-  
ce, vt reiecta appellatione confirmandae fue-  
rint, potius placuisse Iudici ad quem, pro-  
uocantem denuo audiri. III. Literas inhibi-  
toriales emanasse, quod ipsum vti natura-  
lis est sequela Appellationis receptae, ita de  
enixa voluntate Iudicis Superioris testatur,  
a Iudice, quem iam interposita Appellatio  
ligat, ne quid porro attentetur. IV. Ob  
harum literarum auctoritatem in hac causa  
nihil amplius Regimen vetare, vel iubere  
potuisse, nisi maluerit contra iubentis aucto-  
ritatem impingere. V. Laudandum esse  
Regimen, quod tanti Iudicis reuerentiam  
susplexerit, nec quicquam protelationis in-  
tuitu cautionis admittere voluerit, nec cul-  
pae vilius esse insimulandum, quod nihil  
aliud egerit, quam quod imperatum man-  
datumque, quod ipsum, si forte minus re-  
ete se haberet, non Iudici obsequenti sed  
Iudici iubenti, omne foret imputandum. VI.  
Actorem Aristonem sufficienti notitia eius  
imbutum fuisse, quod Mandato Caesareo  
continebatur, neque tamen in iudicio quic-  
quam monuisse petiisse; sua itaque culpa  
dam

damnum sentire , ideoque iuris intellectu non sentire . VII. Mandatum clausula iustificatoria carere , cui adeo simpliciter pendum . VIII. De Exceptione Sub- et Obreptionis cognitum summum Imperii Tribunal , adeoque decisionem ab eiusdem auctoritate , non , inuerso ordine , a Iudicis inferioris arbitrio pendere .

### §. III.

#### RATIONES IN CONTRARIVM MILITANTES.

Curate , ni fallor , selegi aduersae mihi sententiae momenta , et nunc ordo rei flagitat , vt , quid iis obstat opponique queat , ordine pariter proponam . Quod ad Appellationem I. Interpositam II. Receptam III. Inhibitorialibus Literis firmatam attinet , in iis omnibus , quae de Effectibus sunt monita , cum Dissentientibus consentio . Vis sententiarum conformium prouocatione est suspensa , liberum fuit Iudici Summo prae sumtionem ex ista conformitate oriundam pro sua auctoritate negligere , et Partem Appellantem rursus audire : Nec quicquam a Iudice inferiore fieri debuisse , quod At tenta-

tentati aduersus Appellationem et emissas Inhibitoriales vel minimam speciem praebere potuisset. Haec autem dum concedo, simul fontem diuersae sententiae praeципuum deprehendisse mihi videor, quod Processus Appellationis a Processu Mandatorum non satis fuerit distinctus atque separatus. Appellatio interposita suspenderat vim sententiae ultima vice latae, simul omnis motus in inferiore Iudicio quieuerat, ita tamen, ut omnia manerent in pristino statu, in quo causa ante Appellationem fuerat. His non contentus Beatus Appellans etiam preces fundit, ut obtineat Mandatum S. C. poenale de non amplius impediendo exstructionem aedium erga sufficientem cautionem de demoliendo, sed absque vlla mora permittendo: et per falsa narrata ea gaudet felicitate, ut Mandatum petitum emanauerit. Nouus hinc oritur Processus Mandati S. C. vbi nemmo negauerit, vti falso narranti licuit falsa narrare et Iudici mandanti subrepere, et obrepere ita, Aristoni isto Mandato admodum grauato, omnia esse salua Iuris beneficia in tali casu Iure tum communi tum Imperii prodita. Sunt illa, vt aut pareat, aut, rem aliter se habere ac narratum est, excipiat et doceat.

G

Est

Est insignis Vox Cameralistarum: *Excipiendo etiam pareri et paria esse excipiatur an pareat reus.* Illustris ab EYBEN de Mandatis S. C. §. 24. Operum p. 247. Ante vero quam Aristo in Termino praefixo excipiendo parere poterat, Iudex a quo Aristonem isto Iuris beneficio frui non patitur, et tanta auctoritate motus rem totam innuat, Inhibitionem rite decretam tollit, Mandatum nondum elapsò spacio, intra quod parere debebat Aristo, si ei hoc placuisset, exsequitur, adeoque Iuris beneficio proponendi Sub-*et* Obreptionis Exceptionem reapse Eundem priuat, Iudex inferior limites Mandatorum Processus se transiliisse animaduertit et Sapientum Consilium petit, qui, vti mihi videtur, Appellationis Interpositae Iura cum noua Processus Mandatorum imagine commiscuerunt. Quod loco *quarto* dictum post Inhibitoriales literas insinuatas Regimen nihil amplius potuisse vetare vel iubere, verissimum esse iudico quoad Appellationem, quam Inhibitio respicit; nihilo tamen minus verum habeo, illam Inhibitionem ad Processum Mandati nihil pertinere, annuenteque Iure affirmo, nec hic Iudicem potuisse quid decernere, iubere,

( ४५ )

re, vetare, permittere aut remittere, quod Aristoni Iuris beneficiis vsuro graue foret et eorum emolumentis eundem priuaret. Hoc equidem adeo verum esse existimo, vt, si Aristo aduersus illas Inhibitionum relaxationes voluerit Appellationis auxilio vti, Iudicis Summi opem, vt aequa et iusta flagitanti, non fuisse defuturam. *Quinto* loco principii petitionem deprehendere mihi videor, ac si Iudex mandans hoc ita fieri voluerit, qui quidem praecepit et mandata fieri serio voluit, sed non aliter, quam seruato Iuris ordine, et vt Exceptionum remedia reo sint salua. His propitio Iure vti non est protelationis contra Ius susceptae species; culpa etiam non est in Judice mandante, sed in Iudice Mandatum aliter, ac decebat oportebatque, interpretante. Superiorum Ius sibus non aliter parendum, quam prout Ius flagitat, aequitas permittit. Hoc enim ipsi voluisse videntur. *Quod sexto* loco dicitur, Aristonem Mandati Caesarei sufficienti notitia fuisse imbutum, nec tamen in iudicio quicquam monuisse petuisseque, quo neruus huius argumenti euadat, non perspicio sat. Fac, Aristonem sufficienti Mandati notitia imbutum fuisse: idem tamen et hac

G 2

noti-

notitia erat imbutus, ab hoc Mandato ad-  
hucdum nihil sibi esse metuendum; incum-  
bere sibi, vt aut pareat in Termine praefixo,  
aut excipiat; R. I. N. §. 76. illud iustitia cau-  
sae fretum se facere non posse, hoc falsis  
narratis ostensis se facturum. De hoc nec  
Iudex erat monendus, nec quicquam ab eo  
petendum, quod ad id, quod futurum esse  
confidebat, Iura Imperii et Processus Na-  
tura Iudicem inferiorem adstringebant.  
Non omittam, Mandato non iuberi simpli-  
citer, vt relaxetur Inhibitio, sed erga suffi-  
cientem cautionem de demoliendo. Iam  
autem cautio non recipienda nisi audita al-  
tera parte, cuius maxime interest scire, quo-  
modo caueatur, et videre, vt cautum sit.  
*M E V I V S P. III. Decis. CXI.* Non ita  
Iudex admonendus erat, sed Appellans, vt  
ante omnia se declareret super cautione, et  
Appellatus, vt pariter exponat, num sibi  
satis cautum sit, quod neutiquam factum,  
adeoque inuerso ordine ad Mandati obse-  
quium processit Iudex inhibitionem remit-  
tens. Multo magis itaque Decretum ipsum  
erat alio Decreto tollendum; quae enim  
iussit vetuitue Praetor imperio, meliora  
edoctus, tollere potest. *I. 14. D. de Re Iudi-  
cata.*

cata. Quando autem hoc non factum,  
 non sua sed aliena culpa damnum sentit Ari-  
 sto. Id lubentissime largior, loco qui dem  
*septimo* allatum: Mandatum clausula iustifi-  
 catoria carere, alias non foret Mandatum  
 sine clausula: simpliciter ideo eidem fuisse  
 parendum plane nego. Ratio recta docet,  
 vt primo capite traditum, nullum posse Iu-  
 dicem, cuiuscunque demum fuerit auctorita-  
 tatis, iubere, vt ad sola narrata Precatoris,  
 altera Parte plane non audita, haec parere  
 habeat necessum, siue vera illa narrauerit,  
 siue etiam falsa. Mandatum S. C. Rescripti  
 species est, omnium autem Rescripto-  
 rum hanc generalem esse naturam, pro-  
 ut secundo Capite tradidi, ut tacita ei-  
 dem insit clausula: *Si preces veritate ni-*  
*tantur.* Praeclare Pontifex in c. 5. X. de  
 Rescriptis: *Qualitatem negocii, pro quo*  
*tibi scribitur, diligenter considerans, aut*  
*mandatum nostrum reuerenter adimpleas,*  
*aut per literas tuas, quare adimplere non*  
*possis, rationabilem causam praetendas:*  
*QVIA PATIENTER SVSTINE-*  
*BIMVS, SI NON FECERIS,*  
*QVOD PRAVA NOBIS INSI-*  
*NVATIONE FVERIT SVGGE-*

G 3

STVM

*STVM.* Quod non Partibus tantum, sed et Iudicibus, ad quos mandata perueniunt, dictum esse confido. Mandati denique S. C. secundum Leges Imperii haec est natura, ut reus non super quibuscumque Exceptionibus, quod vetat vnicet Clausulae Iustificatoriae omissione, bene tamen super iis, quae reo etiam in hoc Processu saluae sunt, audiatur, nec, donec Index mandans de his cognoverit, res in inferiori Iudicio praecipitur, innouetur, et, quantum in Iudicis inferioris potestate fuit, Jura alterius partis laedantur. Denique ad ultimum et octimum Momentum quod attinet, rursus verissimum est, Decisionem Quaestionis: num sub-aut obreptum sit, a Iudicii mandantis Decisione pendere. Sed ab hoc non pendet praesentis Quaestionis Decisio: quae est, num exspectanda sit paritoria, maxime plena, super Exceptionibus Sub- et Obreptionis obiciendis, an vero Mandatum contra loris beneficia sit statim, et antequam Quaestio fidei precum euacuetur, executioni dandum. Tantum abest ut meae sententiae obstet, super Sub- et Obreptione a Iudice mandante esse cognoscendum, ut potius ex hoc ipso insigne robur eidem accedat.

cedat. Sum sit sibi Iudex inferior tacite et virtualiter super Sub- et Obreptione cognitionem , dum Mandatum ab eius Exceptione pendens, non aliter, ac si de ea iam cognitum esset, eaque inepta falsaque fuisse deprehensa , executioni dandum esse existimauit.

Haec pro virium modulo et imminente abitu breuiter et pro instituti ratione, ut nempe Problematica haec quaestio honorum in Iure summorum a me impetrandorum causa ventiletur, quod Beneolum Lectorem consideraturum esse, et, si quid minus recte dictum positumue fuerit, condonaturum confido.


F I N I S.



cepsit. sumit ipsi ligea superior macte et  
viam iste nuper sap. et Optimum coqui-  
tione. quia Thymatum et quis pax  
plicis pendens non sicut se de ea tunc  
conspicuit estet. eadne iherba paxaria tunc  
est. paxaria exactioni quando in illa  
ezificavit. Hec hio virtutu modalo et illuminau-  
te sap. et premit et hio inflammat istiorum. At  
tempo. Propterea pax. dicitur pax.  
tum in Iherba paxiorum a nos habentibus  
tum causas. Keunt enim. atque Genesim. Te-  
nere legem diligimus. potuisse tenui. con-  
sideratum corrigo.

E I N I S






Göttingen, Diss., 1754 Bo-2

ULB Halle  
005 360 730

3







*21.* 5  
*1754, 10*  
**CHRISTIANI FRIDERICI**  
**NOBILIS A FREIESLEBEN**  
**S. R. I. EQVITIS**  
**PROBLEMA PRACTICVM**  
**MANDATO S. C. POENALI**  
**OB EXCEPTIONES SVB - ET**  
**OBREPTIONIS IMPVNE NON PARERI.**

D. XI. MAII MDCCLIV.

P V B L I C E D E F E N S V M.



*PA 459*  
EDITIO SECUNDA.

GOTTINGAE  
APVD VICTORIN. BOSSIEGELIVM

